

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 861

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1345

D O G M A T I C I .

1346

ut ibi dicitur e veteribus Membranis V. Cl. Job. Nicotii, e nostro vero Codice non uno loco emendabilis, quamvis et is in propriis praesertim nominibus passim peccet. Ita legit eracleam,

agaguldeam, ubi Editio cit. una cum Beda T. II. Colon. 1688. p. 236. f. habet *Eroftachiam*, *Agagus deam* &c. Prophetia ipsa consistit in Versibus illis ἀνεγερτικοῖς:

Judicij signum tellus sudore madescet &c.

quos cum e graeco traductos jam *Augustinus* L. XVIII. *de Civ. Dei* repreäsentet, et iterum *Beda* l. cit. nemo doctorum intelligit, qua ratione *Beaugendreus Marbodo* Sec. XII. scriptori tribuere potuerit. Atqui id fecit in edit. *Opp. Hildeberti Cenom. et Marbodi Redon. Paris. 1708. col. 1630.* f. Igitur *Mauriana* etiam Monumenta non sine discrimine lauda.

IV. fol. 16. p. 2. Excerpta prolixa e PP. et recentiorum Ascetarum Scriptis de variis Virtutibus et Vitiis.

V. fol. 87. Tractatio de Confessione et Conversione cum mul-

tis Exemplis e *Caesario Heisterbac.* depromtis. Initium: *Confessio oris cum contritione cordis secundus baptismus est.* &c. Subjunguntur et alia multa ejusmodi Exempla indiscriminatim lecta, quorum fides penes Autores esto.

VI. fol. 142. resumuntur Excerpta paullo superius indicata de Silentio, Obedientia, Tentationibus &c.

VII. fol. 177. p. 2. Rhythmi quidam latini facri modulis musicalis inclusi, levis momenti, bini-que lingua belgica de Mundi fallaciis, quorum alter incipit:

Uront sich op dyne bode altoes!
Want die werlt de is also loes.
Er genoechte is vncuysheit,
Er raet is bouerdic en gyricheit,
Er deynst is soete, er loen is cranck,
Er blome is scone, er vrucht is stanck &c.

CCCXLV.

739 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. 8. nitide scriptus, passimque rubricis enotatus, fuit primum *Conradi Celtis*, ut folium ejus *Μονογραμμα* duplice C. duplique P. (*Conr. Celtes Pro-*

tucius Poeta) constans praeivium testatur, emtus dein *Vienne* die 27. January. Anno 1519. a *Job. Gremperio* *Job. Cuspiniani* Amanuense, de quo varia retuli in *Hist. Typogr. Vien.* ejusque pariter Sigillo e literis M. Θ. et Γ. composito insignitus, demum κτημα

μα

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 861

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1347

C O D I C E S

1348

*μα Job. Fabri Episcopi Vien. ut patet e Formula Donationis a. 1540. Codici anterius et posteriorius adscripta, de qua non semel jam mentionem fecimus. Insunt vero Codici huic sequentia: I. Epistola inscripta: De anticristo quomodo nasci debeat. Ejus initium: Heriberto Colonensi episcopo Albuinus suorum omnium seruorum ultimus. gratiam et pacem sempiternam. Ex quo domine pater misericordie uestre gratiam promerui &c. Opusculum istud inter Augustini, Alcuini et Rabani Scripta olim editum ne quidem ad *Albuinum*, quem hic praeferit, pertinet; Heribertus enim, ad quem mitti dicitur, ad Infulas *Colonienses* anno primum 999. evectus est, cum interea reperta et a Duchesnio T. II. *Script. Hist. Franc.* p. 844. edita sit alia ei praefixa Dedicatoria *Adsonis Monachi Luxov.* et deinceps Abbatis *Dervensis* ad *Gerbergam Ludovici* dicti *Transmarini Regis Galliae Conjugem*, vivo etiamnum Marito, qui a. 954. obiit, exarata. Itaque *Albuinus* noster plagiarius et non nisi *Adsonis breviator* fuit, ut videre est, in edit. *Opp. Alcuini Ratisb.* 1777. T. II. Vol. 2. p. 526. ubi plures etiam Codices indicantur, in quibus Libellus *Albuino* sive *Albino*, ut in Nostro, attribuitur, unde per errorem ad *Alcuinum* transiit. Fuit vero *Albuinus* iste Monachus et Reclusus Coenobii *Gorziensis* in agro *Metensi*, de quo plura in *Hist. liter. Franciae* T. VI. p. 553. quo remittimus.*

II. fol. 8. litera quadra miniat: *In Nomine. Domini. Incipit. Liber. Prognosticorum. Futuri. Seculi. Dalio. (Idalio) Barchinensis. Sedis. Episcopo. Julianus. Toletanensis. Sedis. Episcopus.* Initium: *Diem illum clara Redemptoris omnium exceptione conspicuum &c.* Obiit *Idalius* a. 690. ut et *Julianus* noster perperam a quibusdam dictus *Pomerius*, de quo adi *Ceillerii Hist. des Auteurs sacr.* T. XVII. p. 733. et *Henr. Florez Espanna sagr.* T. V. p. 295. Praesens ejus Opus in *Libros III.* tributum primus e *Cod. Coenobii Misniensis Veteris Cellae* edidit *Lipsiae* 1536. 4. *Job. Cochlaeus*, et emendatius quidem, quam deinceps in *Bibliothecis PP.* puta *Lugd.* T. XII. p. 590. comparuit. In *Codice* porro nostro sic habet: *Prologum* supra indicatum excipit Autoris *Oratio: Desertum Idumeę cecus et morbidus possessor &c.* *Orationem Elenchus Capitum XXII.* ut in edit. *Lips.* cum in *Bibl. PP.* Caput 12. et 13. in unum contracta fint. *Elenchum* ipse *Liber I.* inscriptus de *Origine Mortis humanae*. Ita et reliquos duos *Libros Elenchi* praecedunt, et *Secundus* quidem censem Capita XXXVII. quorum 36. et 37. in edit. *Lips.* coaluere; *Tertius* vero ubique LXII. Titulus L. II. est: *De Animabus defunctorum quomodo babeantur ante ultimam corporum resurrectionem*, et L. III. *De ultima corporum resurrectione.* *Clausula Operis miniat*, ut omnes *Inscriptiones: Finit.*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 861

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1349

D O G M A T I C I .

1350

nit. finit. Explicit liber tercius prognosticorum Juliani Episcopi. Comparatione ceterum cum Edit. Cochlaei instituta comperi, non negligendum fore nostrum Exemplar, si quis fortasse de revocando sub incudem Juliano cogitaret; ita enim jam in Prologo quo presenti anno pro quem &c. quis recolendum pro recolendo; Illo tunc agum pro Illud; Ibi tunc plenissime pro Ubi; collatione mutuo pro collocutione; in inquisitionem uenisset pro in quaestione; quid ex hoc respondendum pro quicquid &c. legitur. Sunt tamen, ne quid dissimulem, alia in Edit. probabiliora. Vide et Cod. CCLXXV.

III. fol. 82. p. 2. alia manu scriptae Formulae variae Salutationum Epistolarium, puta Pontificum, Imperatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Marchionum, Abbatum, Priorum, Comitum, Militum, Parentum, Amicorum &c. Ita prima: *Dominus et in Christo uenerabili C. sancte ac uniuersalis ecclesie summo pontifici H. dei gratia romanorum imperator augustus debite servitutis famulatum uel debiti servicii obsequium uel debitam in christo reuerentiam. Fortasse de Coelestino III. et Henrico VI. res est. Occurrunt deinceps P. dux uenetianus, rauennatis ecclesie archipresul, P. mediolanensis ecclesie minister, aquiliensis ecclesie patriarcha, R. cenobii sancti gabrielis abbas, Fauentinorum episcopus sancti ambrosii monasterii prior, sancti martini plebis archipresby-*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

ter, Fauentinorum comes. Accedunt Epistolae II. integrae, quas adscribere visum: J. episcopus seruus seruorum dei L. dei gratia romanorum imperatori augusto. salutem et apostolicam benedictionem. Quemadmodum tyrranici furoris rabies sancte pastores ecclesie puniendo perturbat et perturbando fortiter debilitat. eodem modo regalis fortitudo pietatis illos tuendo confortare et confortando a suis persecutoribus debet protegere. Quapropter fili dulcissime quoniam sue sancte defensorem ecclesie te christus constituit. omni tarditate remota uel depulsa maiori quam potes exercitu in italiam uenire festina. Quatenus me ab impiis rogerii manibus eripere. et sanctam basilicam in pristinum statum possis restituere. Respondet Imperator: Domino et in christo uenerabili J. sancte et uniuersalis ecclesie summo pontifici L. dei gratia, non suis meritis romanorum imperator augustus debite reuerentie famulatum. Veluti ciborum assumptionem famelicus. potusque recreationem sitibundus diligenter exoptat. ita pater dulcissime sancte matris ecclesie persecutes procul depelle. suorumque prelatorum contumelias maxime desidero uindicare. Quod autem in kal. ian. sicut uestre paternitati pollicitus sum romae non affui hoc mihi magna corporis infirmitas prohibuit a qua diuinitatis liberatus munere. magnis collectis exercitibus diu noctuque romam uenire non desino. Quatinus sancte hostium ecclesie persecutor atque suorum iniuriarum pre-

K

latorum

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 861

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1351

C O D I C E S

1352

latorum vindicator existam. Epistles has inter Innocentium II. et Lotharium II. versari, scriptasque fuisse a. 1136. ejus temporis acta apud Historicos suadent. Accedit alia Epistola sed abrupta, qua Miles quidam J.

Comiti suo G. contra crudelissimi temeritatem Lodoici queritur. In principio namque belli patrem meum interfecit. deinde — —.

IV. fol. 84. p. 2. Poemation Elegiacum rhythmicum de Excidio Trojae, cuius initium:

*Pergama flere uolo factio Danais data solo
Solo capta dolo, capta redacta solo.
Ex elicone sona que prima tenes elicona
Et metra me dona promere posse bona &c.*

Abruptum videtur Disticho 43. cuius versus posterior:

Deperit in modico. fit nichil ex aliquo.

Geminum prorsus huic Poemation edidit Leyserus in Hist. Poe-

tar. med. aevi p. 404.

*Urbs bona nunc dum i, vi flammæ, turbine fumi
Non ita consumi digna resedit humi &c.*

Cumque id in Cod. Lipsiensi subnexum Versibus Hildeberti Cenoman. reperisset, ad hunc fortasse pariter referri posse censuit. Verum in edit. Paris. Hildeberti

1708. f. nihil horum comparet. Interim si Poemata haec diversos Autores habent, unum alterius notitiam habuisse arguo e Leyseriani Disticho:

*Urbs miseranda nimis, imo dives rebus opimis
Inclita sublimis, una fit ex minimis;*

Noster:

*Urbs retro sublimis et abundans rebus opimis
Una fit ex minimis ad nichil acta nimis.*

Ceterum *Hildebertum* iisdem Metri vinculis non semel se illigasse, ex edit. cit. liquet. Poemation nostrum integrum vide Cod. DCXIII.

CCCXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. 82 XII. Folior. 125. f. per duas columnas nitide scriptus, et rubricis